



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

Ad Reverendissimum In Christo Principem Ac Dominum, Dominum  
Salentinum, Electum Archiepiscoporum Coloniensem, Sacri Romani Imperij  
per Italiam Archicancellarium, principem electorem, Westphaliæ & ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

# AD REVE

RENDISSIMVM  
IN CHRISTO PRINCIPEM

AC DOMINVM, DOMINVM  
S. Iulianum, Electum Archiepiscopum Co-  
loniensem, Sacri Romani Imperij per Ita-  
liam Archicancellarium, principem ele-  
ctorem, VVestphaliae & Angariae ducem.

Ludouici Hillesemij Andernaci in  
meditationes psalmorum.

*Praefatio.*

**D**iuinam in homine be-  
atamque naturam, &  
illam caelestis simula-  
chri illustrem imagi-  
nem, vt in ijs videmus, qui se ad  
DEI voluntatem, mente ac vita  
conuertunt, ita omnis effigies  
diuina obscurata & extincta in  
illis est, qui DEVM ignorant,

A 2 ncc

nec vlllo eius metu aut religione continentur. Nam vt illi qui consecratam in animo caelestium rerum fidem habent, spiritu mouentur ac reguntur diuino, ita hi qui abiecto Dei timore terrestria sectantur, se à coniunctione diuina prorsus disiungunt.

Atque hic ingens error est humanae vitæ, & ex deprauatione naturæ inducta obscuritas iudicij ac rerum, vt maior hominum pars, veritate deserta falsitatem sequatur. Nec tamen vlla in eo malorum defensio est. Quamquam enim natura humana inges detrimentum sua culpa admillum sentiat, ea tamen Dei sempiterno beneficio, eiusque vnigeniti filij, Domini ac Dei nostri Iesu Christi sanguine ac morte repara

PRAEFATIO.

5

reparata est, & potestas omnibus  
 data, vt filij Dei fiant ij, qui fi- *Iohan. 1*  
 dem habentes eius nomini, ipsius  
 voluntatem iusta religionis &  
 officij lege sequuntur. In quo  
 omnis perfectio virtutis, & com-  
 prehensio summi boni, & foelici-  
 tatis sempiternæ fructus inest,  
 destinatus ab ipsa æternitate ijs,  
 qui segregatam à malis vitam te-  
 nuerunt. Hanc vtinam omnes  
 sequantur, ac possent quidem om-  
 nes, inuitati à Deo ad illam per-  
 cipiendam gratiæ ac gloriæ cæ-  
 lestis coronam. Sed multi men-  
 tes, ad ea quæ aliena à Deo et exi-  
 tij plena sunt, vertunt, & simi-  
 litudine propiores fiunt bestijs, *2. Pet. 2.*  
 ad quarum indignitatem se vo-  
 luntate ac sensu abiecerunt. In  
 quo omnis salutis euersio inest,

A 3 nulla

6 PRAEFATIO

6  
nulla cum Dei culpa nolentis  
quenquam perire, sed omnes ad  
sanitatem redire, ac saluos fieri.

2. Pet. 3.

Ac fieret hoc quidem, illucescē-  
te orbi terrarum, & animis om-  
nium gratia maiestatis diuinæ, si  
quæ nunc auersæ à Deo sunt mul-  
torum rationes, ad eius volun-  
tatem iterum referretur. Sed dei  
in nos iræ signa videmus, pœnas  
sentimus, vt refelli culpa, & hu-  
ius seculi labes non possit. Ma-  
lorum enim facta semper Dei vl-  
tio insequitur: vt benè agentibus  
eius misericordia præsto est, &  
omnis in eos bonorum immor-  
talium vis cumulatè redundat.

Quamobrem in hac confusione  
rerum, ac lugubri Ecclesiæ Ca-  
tholicæ & Apostolicæ labefacta-  
tione, vertendæ mentes omnium  
sunt

sunt ad suam procurandam salutem, & illud quod Dei angelus *Gene. 19.*  
**LOT** ex horrenda Sodomorum conflagratione educto dixit, unicuique cerebrò & semper cogitandum: Salua animam tuam, veniet enim Domini, eiusque iudicij, et impiorum hominum sempiterni exitij dies. Verùm vt ille grauis ac funestus ijs, qui se à Deo auerterunt erit: ita lætissimus omnium & faustissimus illis illucescet, qui informatam in animis notionem Dei, inuiolatam atque integram retinuerunt: ac tum illi laborum suorum præmium ferent & fructum, in cælum translati, & Dei imagini prorsus conformati, claritate æterna. Hoc illi futuræ fælicitatis sensu perfusi, Deum tota vita

A 4 sequun

sequuntur, colunt eum ac diligunt, eiusque metum omnibus in terra rebus statuunt præuertendum esse. Ac quum res eorū variæ sint, Dei misericordiam continenter, omnibusque momentis implorant, & auxilium petunt ab eo, qui altissimum posuit refugium suum, in cuius potestate confirmationem statûs sui, salutisque esse certò sciunt. Sic quicquid est illorum sensus atque animi dedicant Deo ac deuouent, vt nulla ab eius veneratione et cultu eos separet fortuna: eoque in Dei fidem recepti, eius cælesti confirmantur manu, sustentanturque diuinitûs, ad eorum perpetuam salutem. Hoc perfugium bonorum, præsidium innocentium est, quo illi conseruati,

uati, ad Dei laudationem prorsus feruntur. Nam etiam de media nocte surgunt ad eius confitendum nomini, ac quotidie laudem ei dicunt, & hoc in omni actione agunt vitae, ut eorum oculi ad Deum intenti sint, ut dominum benedicant omni tempore semperque in eorum ore laus ipsius versetur. Ac dignum sane hoc eorum est virtute, ut cuius diuinæ erga se misericordiae perpetuum testimonium extat, ad eius ipsi amplificandam maiestatem & gloriam omnia conuertant. Sic in corporibus humanis vitam imitati caelestem, ac demum opere perfuncti, posteaquam corporum admistione liberati, & à Deo euocati erunt, ante Dei solium diuinas habentes cytharas.

*Psal. 118.**Psal. 24.**Psal. 33.**Apo. 15.*

A 5 deum

DEVM in perpetua secula venerabuntur. Quo autem caelestium officiorum cursu in terris, illi vitae munus executi sint, testimonia multa aeterna ac sacra extant: Orationes etiam et hymni, quibus iusti homines in omni fortuna DEVM affati sunt et celebrauerunt, diuinitus consignati, ad imitandum & sequendum. Ac cum ego aliquam eò cogitationem vertissem, eamque quadam assiduitate commentationis, cui iusta Dei veneratio ac beatæ vitae contemplatio, comprehensioque inesset, confirmandam esse existimarem, psalmos ac hymnos Dauidis eo adhibui, remota quantum potui, à curarum mearum & negotiorum ciuiliū procellis mente. Verum illud Dei sacrarium, in quo

quo facti à DEO hominis vera effigies, & aeternae vitae sensus, & omnis diuinæ doctrinæ gloriosa maiestas existit, ingresso, euenit, vt animis, ceu florētis, ac delitijs omnibus affluentis horti amentate captus et delinitus, diuelli ex eo, & specie eius diuina exatiari non posset. Quanta enim in eo testimoniorum caelestium, & diuinitus promissæ atque præstitæ, ac perpetuò vernantis gratiæ Dei amœnitas est et pulchritudo? quæ supplicationum sanctorum, ceu aromatum ac florum, odorem spirantium et exhalantiū diuinum, flagrantia? Qui vitalium arborum, cognitionis Dei ac diuinæ scientiæ & virtutum fructus? Quàm puri donorum spiritus sancti, ceu viuenti-

um ac perennium aquarum sca-  
 turigines ac fontes? Quàm mitis  
 aura afflantis fauore suo, & om-  
 nia complentis Dei? Quæ beata-  
 rum mentium exultatio, ceu volu-  
 crum suauissimi cantus, inter vi-  
 tales arborum frondes Dei laudē  
 concinentium? qui omnium cre-  
 ator terribilis, potens, iustus, mi-  
 sericors, solus rex et bonus, solus  
 munificus, solus iustus, omnipo-  
 tens ac sempiternus sit: in quibus  
 orationes atque vota ceu turtu-  
 rum, desiderio cælestium rerum  
 anxie ardentium suspiria ad cæ-  
 lum pertingunt. Eius meditatio-  
 nis simulachrum quoddam à no-  
 bis scripto inchoatum inceptūq;  
 est: quod tuæ Celsitudini amplif-  
 sime Antistes offero, inuitatus au-  
 toritate tua, & excelsa atque illu-  
 stri

2. Mach. 1.

stri gloria virtutis. Certè in omni statu vitæ ac rerum, applicanda ad DEVM mens est, ad veniam ab eo assiduis precibus lachrymisq; impetrandum, & interpellatam ærumnis atque angoribus animi fiduciam in ipso retinendam, eius etiam gratiam & gloriam, omni affectione cordis prædicandam. Quamobrem spero, ad hoc informatæ et institutæ huic commentationi meæ, locum fore apud omnes, in quorum animis consignata est nominis diuini gloria. Quod autem ego in hac ciuili vita ad hæc sacra, diuinisq; arcanis plena me dederim, causam mihi dicendam non puto. Est hoc generi humano munus attributum à deo, vt ei vni deferuiat. Ei muneri, lex de homi-

num inter se ad iuuandum charitate & amore consociata est, cuius sanctissimo vinculo omnes homines sunt astricti, vt ab eo se seiungere sine interitu summo suo non possint. In eo quisque officium faciat, nec eius neglecti crimen ad DEI tribunal secū adducat. Cætera in eius misericordia posita sunt, qua omnibus hominibus opus est. Negotie

*uc. 19.*

*Matth. 25.*

*Matth. 20.*

mur ergo, donec veniat dominus, & dūm dies est in eius vinea opus faciamus, pactam expectantes mercedem, ac DEO nostro gloriam quātamcūq; possumus & honorem semper tribuamus.

Hæc Reuerendissime princeps pro officio, eaq; qua amplitudini tuæ deuinctus sum fide, præfanda esse duxi, vt causam declararem,

PRAEFATIO. 15

rarem, quæ ea secutus sim, quæ  
ex scripturis sanctis directa ad  
DEVM omnipotentem sunt.

In quibus me integra mente ver-  
satum esse spero, ac iudicium de  
ijs omne, Catholicæ & Aposto-  
licæ Ecclesiæ Dei defero. Deo  
certè desideria omnia mea nota  
sunt, quæ ad ipsius laudem sem-  
per ei seruient. Quem demissa  
mente precor, vt ad sanctæ fidei  
nostræ instaurandam vnitatem,  
corda omnium cõuertat, & Am-  
plitudinem tuam sua gratia  
cælesti tueatur ac seruet.

Andernaci Anno salu-  
tis humanæ.

1571.

Inuoca